


AD PHILIPPVM
MAXIMVM HISPANIA-
RVM REGEM.

L. ANDREÆ RESENDII
LVSITANI.

Ad maturandam aduersus rebelleis
Mauros expeditionem,
cohortatio.



PHILIPPO, HISPANIA
rum regi maximo.

Forſitan arguerit quiſquam hoc,exceſſe Philippe,
Quod pede me modulôq; meo non metiar,auſus
Muſa inopi pulſare tui faſtigia ſumma
Culminis,ignotus tibi,nec de ſorte tuorum.
Si tamen expendas animo rem preſſius,atq;
Maternam gentem,& conſanguinitate propinquos
Luſiadum reges,iam non alienus habebor,
Quantum quumq; rudis vates,& acuminis exſors,
Nec terſo eloquio,numeris nec molliter inter
Seſe connexis.Quod non admitto grauate.
Non externum igitur,licet ignotum hæctenus,audi,
Si nec inutiliter te compellaro,nec aureis
Non opportunis tibi nunc onerauero dictis.
Res à te geſtas præclare,& bella ſub Arcto
Continuata diu gelida,Gallôſq; feroces
Fortiter,êq; tua retro ditione repulſos,
Belgarúmq; graueis de religione tumultus
Marte & conſilio exſtinctos,domitámq; ſuperbæ
Perfidiam ſectæ,punitaq; crimina digno
Supplicio,iuſtâq; nefas mercede piatum,
Et memini,& ſeclis mandabit fama futuris.
Sunt hæc magna quidem,ſedenim maiora ſuperſunt,
Quæ niſi perficias,minuiſſe videbere prima.
Treis ſi contentus bene digeſſiſſe poëta,
Inde remiſſo animo quartum dormitet ad actum,
Fautricis caueæ murmur,plauſúmq; theatri
Exſpectet fruſtra,fruſtra, Vos plaudite,cantor

AD SEBASTIANVM EX-
cellsum Lusitaniæ regem,
epigramma.

QVæ sublimipetas frustrata est ardea nuper
Accipitres iterum rex animose tuos,
Victa dedit pœnas hodie, necq; celsa volatu
Nubila præsidio iam fuit ille supra.
Vnguibus hamatis pectus laniata, deorsum
Cum clangore tuos corruit ante pedes.
Aucupij euentum rear hoc, casum ve, futuri
An magis augurium? credo equidem augurium.
Præpetibus nisi nulla fides, his, bella gerenda
Credimus auspicio significata tuo.
Quæ mandata tuis ducibus si forte moratus
Aut semel, aut iterum barbarus hostis erit,
Astra licet iactet, quibus euenisse putetur
Isthæc vincendi quantula quumq; mora,
Non tamen est semper fortunam habiturus eandem
Quin cadat, ac subdat colla superba iugo.
Id, tua quum superis iam sit victoria curæ,
Deiecta è cælo præmonet ardeola.

Maiestatis tuæ cliens.

Resendius.

PERMISSV & AVCTORITATE
Dominorum inquisitorum.

EBORÆ.
Excudebat Andreas Bur-
gius Typographus.
Mense Martio

M.D.LXX.

